



VVilhelmus ille in Heluetia apud Vranienenses natus atque educatus fuit. Cum autem is insigni animi & corporis fortitudine esset præditus, breui apud suos magnam authoritatem adeptus est. Eodem tempore Romanum Imperium Heinricus septimus Litzelburgensis magna gloria administrabat. Is Heluetiorum interioribus pagis Vraniensibus, Suitensibus, & Vnderuualdensibus priuilegia antecessorum renouauit, atq; multis alij; immunitatibus uirtutis ergo ornauit Constantiae, anno post natum Christum millesimo trecento nono. Præcipue autem ipsis concessit, ut nulli principum nisi Cæsari obedirent, ad nullumq; iudicem, nisi præfectum à Cæsare ipsis ordinatum, uocarentur. Erant enim cum Austriae principes in locis finitimi potentissimi, qui subinde ea loca subigere, atque suæ ditioni coniungere studebant. Cum autem Heinricus Cæsar esset mortuus, atque per annum ferè interregnum esset in Imperio, nobiles finitiimi Heluetios lacescebant, atq; uarijs iniurijs afficiebant, qui etiam clam ab Austriacis ducibus adiutii, ut tandem optimi viri bonis suis exhausti, sua sponte proximis principibus se subiacerent, atque contra nobilium proteruiam eorum auxilium implorarent.